

id licitum reputant, modo sit homo baptizatus, nec absit spes probabilis eum in bona fide versari et libenter admissurum esse adiutorium sacerdotis, si hoc sciret esse necessarium. Quodsi talis moribundus non esset sensibus destitutus, neque affulgeret spes eum ad fidem catholicam adducendi, saltem excitandus esset ut contritionem, quantum fieri posset, perfectam de peccatis suis eliceret: quo praestito, clam absolutione condicionata donari posset. Si spes aliqua foret eum ad fidem catholicam adducendi, imprimis ad eam amplectendam exhortandus foret. Neque generatim pro moribundo magnum periculum dari putamus ne forte, proposita obligatione ingrediendae Ecclesiae, graviter peccet eam detrectando. Si enim eam obligationem percipiet, facile obsequetur, cum, instante morte, evanescent pleraque impedimenta quibus sani deterreri solent; si vero eam non percipiet, neque imputabitur abjuratōis denegatio. Cfr. Vol. I. n. 204.

**299. REGULA III.** Quotiescumque, ex sententia certo probabili, licet absolutionem dare moribundo, sacerdos *ad eam dandam tenetur*, etiamsi forte, ob eas quas sequatur opiniones, existimet eam fore invalidam. Nam tenetur ad subveniendum proximo graviter periclitanti circa salutem aeternam, quotiens id absque gravi incommodo facere potest. Ergo tenetur ad dandam moribundo absolutionem, quae ei probabiliter proderit et sine gravi incommodo dari potest. (Lugo, disp. 17. n. 87) Hoc autem obtinet in iis casibus omnibus pro quibus supra (II) allegavimus S. Alphonsi auctoritatem. Nequit enim negari probabilitatem saltem extrinsecam in iis omnibus haberi, tum ob sententiam S. Doctoris et recentiorum fere omnium qui ei adhaeserunt, tum ob praxim inde receptam in universa Ecclesia. Quare non placet, quod innuit Palmieri (Ball. P. nota ad n. 419), etiam hodie licitum esse ab hac praxi discedere ob privatas opiniones de condicionibus necessariis ad valorem sacramenti.

Nulla tamen viget obligatio dandi absolutionem in iis casibus magis dubiis in quibus, cum aliis AA. praesertim recentioribus, id licitum reputavimus: eo quod de illa probabilitate non irrationabiliter alii dubitare possunt.

**REGULA IV.** Absolute absolvendus est moribundus qui signa poenitentiae dat sacerdoti praesenti. (S. Alph. n. 480) Idem, juxta communiorem sententiam, agendum quando moribundus per testimonium adstantium signum doloris dedit: quod conformius videtur menti Rit. Rom. (l. c.) de talibus dicentis: *absolvendus est*, nulla facta mentione condicionis. In reliquis casibus difficilioribus, de quibus supra (II), absolutio condicionate danda est. Ceterum hanc distinctionem

inter absolutionem absolutam et condicionatam minoris esse momenti practici, liquet e dictis in nota ad n. 113.

Expedit moribundum totiens absolvere quotiens ipse nova praestat signa doloris; si vero sensibus destitutus diutius jacet, potest pluries repeti absolutio, ex. gr. ter aut quater in die. (H. A. tr. 16. n. 37)

**300. SCHOLION.** Difficultas theoretica non levis est ut explicetur quomodo valida esse possit absolutio quae detur moribundo qui nec confessionem petierit, nec poenitentiae signum dederit. Nam videtur deesse id quod, in sententia Thomistica, essentialiter requiritur ut *materia ex qua* sacramenti, in sententia vero Scotistica, communi ratione explicata, requiritur ut *condicio sine qua non*: nempe dolor et confessio signo sensibili manifestata. (n. 263) Deinde istud sacramentum institutum est per modum iudicii externi et sensibilis, atque ideo minister non potest procedere nisi praeiverit aliqua sensibilis accusatio vel actus quo ejus officium impleretur. Quare multi AA. gravissimi, ut Suar. (disp. 23, sect. 1), Lugo (disp. 17. sect. 3), opinabantur nullatenus licitum esse concedere absolutionem, nisi ex parte poenitentis praecedat saltem petitio seu desiderium confitendi. Hinc tamquam perpetuo usui Ecclesiae contrariam reprobabant praxim, quam hodie omnes absque ulla haesitatione adhibent, ex. gr. absolventi sub condicione hominem ex alto fastigio cadentem, etc.

Non deerant tamen saeculo xvii<sup>o</sup> AA. qui hanc praxim tamquam licitam tuebantur. Cfr. Lugo. l. c. n. 33. Saeculo autem xviii<sup>o</sup> tam multi exstiterunt ut S. Alphonsus eorum sententiam *communiorem* vocaverit. Hi tamen multum laborarunt variasque iniere vias ut ostenderent, etiam in iis adjunctis, non deesse sensibilem confessionem et contritionem. S. Alphonso (n. 482) praeplacet responsum, quod Viva et Salmant. cum aliis afferunt: "quod eo casu bene adest prudens dubium quod moribundus vel ante destitutionem noverit suae damnationis periculum, vel post destitutionem ad illud advertat in aliquo lucido intervallo, in quo praesumitur velle et petere absolutionem signis vere sensibilibus, nempe per suspiria, motus corporis, saltem per anxiam respirationem, quamvis tunc ista signa confessarius non percipiat: sufficiunt enim talia signa in tanta necessitate, saltem ex prudenti dubio praesumpta, ad dandam absolutionem sub condicione. „ Sed talia signa dari ab iis qui nullatenus sui conscientiam habere videntur, in multis casibus sine ulla verisimilitudine affirmatur; neque apparet quo jure tamquam signa confessionis et doloris habeantur motus corporis, anxia respiratio, etc., quae ex se unice physicas angustias significant. Alii recurrunt praesertim ad vitam christiane ductam, quae accusationis locum teneat, quatenus qui in Ecclesia catholica perstitit, etiam peccatis



gravibus indulgens, satis manifestavit velle se in articulo mortis per poenitentiae sacramentum Deo reconciliari. Sed jam huic rationi respondebat Lugo (l. c. n. 39): "Ridiculum esset quod hodie vellet se aliquis accusare de peccato cras committendo, ut cras ab eo absolvatur in virtute hujus accusationis.", Unde talis explicatio, praesertim in casu eorum qui in actu peccati sensibus destituuntur, prorsus inanis apparet. Quare cum P. Palmieri (l. c.) censemus: "Affirmare actus poenitentis esse *materiam ex qua* essentialem sacramenti, et simul affirmare posse in iis adjunctis (atque exinde debere) absolvi moribundum, duae sunt affirmationes quae speculative et scientificè non cohaerent, immo repugnant.", Manifestum est idem dicendum esse de doctrina Scotistica quae confessionem sensibilem requirat tamquam condicionem ad valorem sacramenti essentialem.

Ideo recentiores quidam Theologi, praesertim Ballerini (Ball. P. n. 405 seqq.) negant ad valorem sacramenti necessarium esse ut dolor et confessio sensibiliter prodeant, eo quod id nulla certa ratione demonstratur. Nam id non certo constat ex eo quod sint *materia ex qua* fit sacramentum: siquidem haec mera est sententia theologica a Thomistis propugnata, a Scotistis rejecta. Neque ex eo quod sacramentum per modum iudicii institutum sit, idem erui potest. Nam inde sequitur quidem oportere ut aliqua causae cognitio praecedat absolutionem, sed non probatur hanc cognitionem hauriendam esse ex accusatione quae ab ipso reo fiat. Ita cotidie, in foro externo, fertur sententia damnationis vel absolutionis, etiamsi nulla praecesserit damnandi aut absolventi accusatio, seu causae cognitio ab eo porrecta. Neque obstat Trid. (Sess. 14. can. 9): "Si quis dixerit non requiri confessionem poenitentis, ut sacerdos eum absolvere possit, anathema sit.", Nam huic canonis satisfit admittendo confessionem hanc praecipi lege divina, a qua tamen excusentur ii qui illam servare nequeant, donec confessionem instituere valeant. Ita etiam Trid. (l. c. can. 7) anathematizat eum qui dixerit "in sacramento poenitentiae ad remissionem peccatorum necessarium non esse, jure divino, confiteri omnia et singula peccata mortalia quorum memoria cum debita et diligenti praemeditatione habeatur.", Omnes tamen admittunt causas ab hac distincta confessione ad tempus excusantes. (n. 292 seqq.) Similiter Trid. (l. c. cap. 5) necessitatem integrae confessionis peccatorum mortalium concludit ex ipsa natura hujus iudicii sacramentalis, quod sacerdotes, incognita causa, exercere non possint. Nihilominus DD. communiter admittunt valere, saltem in casu necessitatis, accusationem peccatorum quae fiat tantum in genere et ex qua confessarius nullam novam cognitionem hauriat: quod clare ostendit eos haec intellegere de necessitate praeccepti, non autem de essentialiter requisitis ad sacramenti valorem.

Hac theoria admissa, nullam jam difficultatem movet praxis vulgo recepta: nihil aliud requiri, ut moribundus sensibus destitutus sub conditione absolvatur, quam aliquam tenuissimam probabilitatem interni illius doloris de peccatis, quem Trid. (Sess. 14. c. 4) declaravit quovis tempore necessarium fuisse ad veniam peccatorum obtinendam.

**Punctum V. De examine conscientiae ad integre confitendum.**

**301. I.** Ex lege integritatis servandae poenitens regulariter tenetur sub gravi ad examen conscientiae confessioni praemittendum. Nam regulariter examen istud medium est necessarium ad hanc legem exsequendam. Dicitur *regulariter*: nam quandoque, omisso examine, nullum probabile periculum erit ne peccatum aliquod mortale omittatur. Sic:

1<sup>o</sup> Qui a brevi tempore confessus redit, quia in mortalem culpam relapsus est, saepe absque ullo examine perspectum habebit nullo alio gravi peccato conscientiam suam onerari.

2<sup>o</sup> Qui solent crebro confiteri mere venialia, facile moralem certitudinem habebunt se nullius peccati mortalis reos esse: nam si quid adeo insolitum contigisset, id absque ulla inquisitione statim apprehenderent. Hi ergo in rigore ad examen istud non tenentur: siquidem nihil ab ipsis stricte requiritur, nisi ut certam materiam sacramento suppeditent; quod facillimum esse liquet ex dictis n. 261. Hortandi tamen sunt illi poenitentes pii ut breve, sed diligens examen de venialibus peccatis instituant, quo ampliores fructus emendationis et profectus spiritualis ex hujusmodi confessionibus assequantur. Scrupulosis autem, vel omitenda est omnis disquisitio, vel instituenda tantum intra brevissimum tempus a confessario determinandum, puta quinque minuta.

**302. II.** Examen istud instituendum est *diligenter*, ut patet ex natura rei et Conc. Trid. requirente, "diligentem sui discussionem.", (Sess. 14. c. 5) AA. communi consensu hanc diligentiam intellegunt *mediocrem* seu quam unusquisque, pro status sui conditione et iudicii capacitate, in re seria adhibere potest et solet, non autem *summam*, qualem afferre solent prudentes in rebus arduis. (Struggl, tr. 8. q. 3. n. 29) Cura enim quae requiritur, debet esse *humana*, i. e. hominum infirmitati accommodata, ne sacramentum reddatur grave et onerosum et fiat quasi *carnificina animarum*, quemadmodum haeretici a Trid. (l. c.) reprobati calumniabantur. (Lugo, disp. 16. n. 590) Ideo:

1<sup>o</sup> Potest examen istud satis diligens esse, etiamsi, plus temporis eidem impendendo, nova peccata detegi possent.

2<sup>o</sup> Non eadem diligentia ab omnibus poenitentibus requirenda est.



Sic minor postulanda est a rudibus quam a doctis, ab eo qui a mense quam ab eo qui a toto anno non est confessus, ab eo qui vitam a periculis peccati satis remotam ducit quam ab eo qui plurimis hujusmodi periculis implicatur, etc. Praecipue parcendum est infirmis in mortis periculo versantibus. Probabilis enim timor damni gravis excusat ab integritate confessionis, ideoque etiam ab examine quod ad eam assequendam instituitur. (n. 294) Cavendum quoque ne tales aegroti, rarius confiteri soliti, confessionem suam in hoc periculo diutius differant, inani timore difficultatis quam in praeparanda confessione experturi sint. Confessarii igitur erit eos suaviter, sed instanter hortari ad se quamprimum cum Deo reconciliandos, promisso auxilio suo, quo res expeditissima fiat. Nullum enim incommodum in eo est quod forte hic et nunc integritas materialis non obtineatur, dum summum aeternae damnationis periculum e dilatione sequi potest. (Elbel, Theol. Sacr. p. 2. n. 153)

3<sup>o</sup> Nemo tenetur ad scribenda peccata sua. Nam, praeter rationes n. 292 in casu simili allatas, patet hanc fore diligentiam summam, quae non praescribitur. Haec praxis neque consulenda, neque vituperanda videtur: sed permittenda, cum debitis cautelis, iis qui ita majorem animae pacem nanciscuntur.

4<sup>o</sup> Suaderi potest iis qui jam a satis longo tempore confessi sunt et merito timent ne plura peccata mortalia admiserint, ut sese examinent primo de praeceptis Dei et Ecclesiae, deinde de vitiis capitalibus, tandem de obligationibus cujusque status propriis. Reliquis generatim proderit brevius examen de iis peccatis in quae, experientia confessionum praeteritarum, norunt se crebrius labi. Quibusnam methodis juventur viri pii et ad perfectionem tendentes, explicant Ascetae.

**303. III.** Ut ob defectum examinis graviter peccetur, necessarium est ut poenitens saltem in confuso *adverterit* imminere periculum omitendi peccati mortalis, nisi diligentius se examinet et nihilominus, nulla aut perexigua diligentia adhibita, ad confessionem accedat. Ratio patet e principiis generalibus datis de peccatis negligentiae. (Vol. I. n. 20)

Hinc apparet raro contingere ut ii qui cum bona voluntate ad confitendum accedunt, graviter peccent ob solum examinis defectum: nam fere numquam ad hanc gravitatem satis attendunt.

**IV.** Si quis poenitens accedit, nullo vel insufficiente examine praemisso, is benigne jubendus est ut congruum pro sua capacitate examen praemittat, quando hac ratione sperari potest melius servatum iri integritatem, quae vix non necessario aliquod detrimentum pateretur si poenitens imparatus a confessario interrogaretur.

Attamen generatim DD. consentiunt vix unquam dimittendos esse rudes et ignaros qui, insufficienti examine facto, ad confessionem accedunt: quia, etiamsi millies remittantur, numquam melius se examinabunt, nec poterunt ita bene dicere peccata sua sicut nunc si ab ipso confessario, mediocri diligentia, interrogentur. Quod admitti potest, ob eandem rationem, etiamsi confessarius advertit poenitenti rudi necessarium esse confessionem generalem de tota vita. (Lugo, disp. 19. n. 593) Praeterea ii quoque qui videntur doctiores raro in praxi dimittendi sunt. Nam fere non accedunt imparati, nisi ii qui in rebus religiosis valde neglegentes sunt vel etiam ignorantes. Quare, nostris saltem temporibus, probabile periculum est ne hanc dimissionem velut magnam injuriam reputantes, a sacramento poenitentiae jam penitus absteineant. Cfr. n. 370. Praestabit ergo plerumque ut confessarius eos interrogationibus suis disponere conetur. Ut autem tollatur vel minuatur consuetudo qua multi examen conscientiae ante confessionem neglegere solent, proderit ut in catechismis et contionibus obligatio hujus examinis pro iis qui rarius confiteri solent, diligenter proponatur; pueri autem methodum confitendi accurate doceantur, et a confessariis objurgentur vel dimittantur si quando imparati accedunt.

## § 2. DE RELIQUIS CONFSSIONIS DOTIBUS.

**304.** Praeter integritatem, multae aliae dotes a S. Thoma (Suppl. q. 9. a. 4) pluribusque AA. requiruntur: quae tamen ex aliis hujus sectionis locis satis intelleguntur. Nos cum Busemb. (ap. S. Alph. n. 493 seqq.) tres tantum recensebimus. Nempe confessio debet esse:

**I. Vocalis.** Huic tamen condicioni plane satisfit ab eo qui confessario porrigit schedulam in qua peccata sua scripsit et, postquam confessarius eam legit, subjungit: *De his omnibus me accuso*, vel similia verba. Obligatio confessionis vocalis non colligitur e natura sacramenti vel lege scripta, sed tantum e constanti Ecclesiae consuetudine.

Censent communiter DD. (Bus. l. c.) *graviter* peccare eum qui absque ulla causa vellet tantum per nutum vel scripturam confiteri; addunt tamen plures (Lugo, disp. 15. n. 86; Ball. P. n. 453) deesse rationem convincentem qua de gravitate hujus culpa constet. Frustra de hac re disputaretur, cum casus videatur metaphysicus. In praxi tollitur omnis difficultas: eo quod communiter admittunt DD. id fieri licitum ob causam gravem (Lugo, l. c. n. 85), vel rationabilem (Suar. disp. 21 sect. 3), puta ob nimiam verecundiam, linguae impedimentum, etc.